



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis;
necnon varia summorum Pontificum Decreta, contra Moralis corruptæ
propositiones, & alia

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 4. Quænam est materia hujus Sacramenti?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40817

De Sacram. Extr. Vnct. Cap. I. 227

sanitati animæ utilis sit. Hanc definitionem sequentibus quæstionibus plenius explicabimus.

Quæst. 3. Quisnam instituit hoc Sacramentum ?

Resp. Christus Dominus noster, qui & cætera Sacramenta instituit : ut enim ait Concilium Tridentinum : Instituta est autem Sacra hæc Vnctio infirmorum, tanquam verè & propriè Sacramentum novi Testamenti à Christo Domino nostro, apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum ac Domini fratrem, fidelibus commendatum ac promulgatum. Infirmatur, inquit, quis in vobis ? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini ; & Oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus ; etsi in peccatis sit, dimittentur ei.

Concil. Trident. sess. 14.
De Sacram.
Unct. cap. 1.

Quæst. 4. Quænam est materia hujus Sacramenti ?

Resp. Eam his verbis definit Concilium Tridentinum. Intellexit enim Ecclesia materiam esse oleum ab Episcopo benedictum : Nam Vnctio aptissimè Spiritus-sancti gratiam, quâ invisibiliter anima agrotantis inungitur, representat.

Quæst. 5. Specialis benedictio, quâ utitur Ecclesia in hoc oleo infirmorum, est-ne de necessitate hujus Sacramenti ?

Resp. Videtur esse de necessitate ; ita ut si Presbyter infirmum periculosè decumbentem ungeret oleo, vel non consecrato, vel per alium, quàm per Episcopum, nullum penitus esset Sacramentum : & ratio est, quia quando Concilium Tridentinum definivit oleum ab Episcopo benedictum, esse materiam Sacramenti Extremæ-Unctionis, videtur tantum voluisse loqui, de oleo benedicto in usum